



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

ix. An priuetur, qui vi, vel fraude extrahit aliquem ex Ecclesia, & extractum illum occidit extra Ecclesiam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

- 3 *Censura lata contra facientes non extenditur ad mandantes.*
- 4 *Mandans in Ecclesia aliquem mutilari existentem extra, quia tunc videtur habere reuerentiam Ecclesie, gaudet immunitate.*
- 5 *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.*
- 6 *Actus tribuitur mandanti, & non exequenti.*
- 7 *Cuiuscunque negotij principium attenditur, & quisnam fuerit mali auctor.*
- 8 *Mandans videtur facere per se ipsum ex iuris interpretatione, & improprie, quod in penis locum non habet.*
- 9 *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur quoad culpam, non autem quoad penam.*
- 10 *Mandans, aliquem à loco sacro extrahi, contrahit excommunicationem, non autem immunitatis priuationem.*
- 11 *Mandans aliquem occidi, committit crimen homicidij moraliter, non autem physice.*
- 12 *Agentes, & consentientes pari pena puniuntur, si sic expressum sit.*

Sequitur septimò, quod immunitate non priuetur qui mandat aliquem in Ecclesia mutilari, vel occidi, siue mandatum detur in Ecclesia, siue extra Ecclesiam, quia aliud est mutilari, vel occidi, aliud mutilare, vel occidere (quos duos casus excipit Constitut. Gregorij XIV.) cum sub mutilante, vel occidente non veniat mandans mutilari, vel occidi, nisi in lata, & extensa significatione, quæ in pœnalibus, & præcipue Ecclesiasticæ immunitati repugnantibus, facienda non est. Vnde censura lata contra aliquid facientes non extenditur ad mandantes, nisi exprimatur, atque ita ex probabiliori sententia DD. docent Megal. in 3. p. lib. 4. cap. 1. q. 1. n. 13. Palas tom. 2. tract. 11. disp. 2. mic. punct. 4. n. 17. & seqq. Bonac. disp. 3. q. 7. de immunit. §. 4. n. 9. Diana part. 1. tract. 1. resol. 10. Lezana verb. Immunitas, num. 11. & aliqui alij. Quamvis contrarium doceant Layman lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 6. Duard. in Bullam Cœne, lib. 2. c. an. 15. q. 16. n. 23. Portell. verb. Ecclesia Immunitas, n. 15. Gambacurta lib. 5. c. 25. Ioan. de Hevia in Curia Philip. part. 3. §. 12. n. 23. Barbosa de iure Eccles. lib. 2. c. 3. n. 1. & 16. Sarpus de iure Asylorum, fol. 44. & alij (vt videre est apud Abb. in cap. inter alia, n. 12. de immunit. Eccles. Nauarr. cap. 25. n. 21. & Syluest. verb. Immunitas, q. 25.) Guttier. lib. 3. qq. Civil. q. 2. Suar. lib. 3. c. 11. n. 7. & 26. Peregrin. de immunit. c. 6. n. 36. Azor 2. part. lib. 9. cap. 9. q. 14. Farinac. in append. de immunit. cap. 16. n. 230. Marth. de iurisd. part. 2. cap. 51. n. 26. Decian. lib. 6. c. 28. n. 7. Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. q. 10. & Mar. Ital. lib. 5. c. 5. §. 3. n. 48. & seqq. quorum tamen aliqui nobis concedunt, quod immunitate non priuetur, si quis existens in Ecclesia mandet mutilari, vel occidi aliquem extra Ecclesiam, quia tunc (vt fatentur etiam ipsi) mandans videtur habere reuerentiam Ecclesiæ, ne scilicet homicidium, vel mutilatio committatur in Ecclesia: tum quia talis casus non est casus exceptus in Constitut. Gregor. XIV. vt supra dicebamus. Vide Decianum, Peregrinum, & Farinacium vbi supra, & præterea Ambrosinum de immunit. c. 5. n. 9. & Ioan. de Vilchis de immunit. Eccles. n. 6. Quamvis & hoc ipsum etiam negent Suarez, Guttierrez, Azor, Barbosa, Layman, & Sarpus cum aliquibus Doctoribus alijs supra citatis.

5 Obiicies, qui per alium facit, per se ipsum facere censetur, reg. 72. de regul. iuris, & probatur, quia actus tribuitur mandanti, & non exequenti, l. item, §. Decuriones, ff. quod cuiusque vn. nom. l. vnus ex familia, §. 1. ff. de legat. 2. l. omnia, C. de veter. iur. enucl. cap. super literis, cap. cum aliquibus, de rescript. & cap. vt fama tua, in fin. de sent. excomm. tum quia cuiusque negotij principium attenditur, & quisnam fuerit mali auctor, l. nam origo, ff. quod vi, aut clam. l. si procuratorem, ff. mandati. Neque

hæc videtur extensio legis pœnalis, sed interpretatio iuxta legis dispensationem.

Respondetur, qui per alium facit, per seipsum facere censetur, proprie, seu verè, & realiter nego, improprie, seu per iuris fictionem (quæ locum in pœnis non habet, nisi ab ipso iure fiat extensio, præsertim in casu nostro, in quo Pontifex loquens de homicidio, & mutilatione tollit facultatem interpretandi, & extendendi suam Constitutionem ad alios casus in dicta Constitutione non expressos) concedo, vel dicas cum Auila de cens. part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 2. & alijs, quod axioma illud intelligatur quoad culpam, non autem quoad penam, nisi exprimatur, vt dicebam, & patet in exemplo de censuris supra allato.

Instabis primò, mandans aliquem à loco sacro extrahi, contrahit excommunicationem huius Constitutionis: ergo mandans aliquem in loco sacro occidi, contrahet priuationem immunitatis eiusdem Constitutionis.

Respondetur, nego consequentiam, quia à diuersis, & disparatis non valet illatio, l. Papinianus excul. ff. de minor. Ratio autem disparitatis constabit ex dicendis dub. 35.

Instabis secundò, verè talis committit crimen homicidij, cap. mulieres, §. ille verò, de sent. excomm. cap. si quis, 23. q. 8. & c. perniciosè, 23. de panit. dist. 1. l. vtrum, ff. ad leg. Pomp. de parricid. l. non solum, §. si mandato meo, ff. de iniur. & l. non ideo minus, C. de accusat. & ibi communiter Doctores: ergo.

Respondetur, distingo antecedens: verè talis committit crimen homicidij mortaliter, concedo; physice, nego. At occidenti physice priuatio immunitatis imposita est, non autem occidenti moraliter, vt supra dicebamus ob rationes dictas, ob quas etiam dicendum est, quod axioma illud ex Paul. ad Roman. cap. 1. agentes, & consentientes pari pena puniuntur, intelligatur, si sic expressum fuerit.

SECTIO IX.

An priuetur, qui vi, vel fraude extrahit aliquem ex Ecclesia, & extractum illum occidit extra Ecclesiam?

SVMMARIVM.

- 1 *Extrahens aliquem ab Ecclesia vi, dolo, fraude, eumque extractum mutilans, vel occidens, non priuatur immunitate.*
- 2 *Repetuntur rationes aliàs recensita, nam etiam hic procedunt.*

Sequitur octauò, quod immunitate neque priuetur, qui vi, vel dolo, vel fraude aliquem ex Ecclesia extrahit, & extractum illum mutilat, vel occidit extra Ecclesiam, idque propter easdem rationes, quæ supra sct. 5. asseriebantur, quamvis contrarium sentiant Azor 2. part. lib. 9. q. 9. c. 14. vers. 15. Item & Farinac. in append. de immunit. c. 16. n. 232.

Neque obstat, quod talis dederit causam mutilationis, vel occisionis in Ecclesia, quia adhuc non mutilat, vel occidit in Ecclesia, neque consummat actum in Ecclesia. Adde, quod neque dedit causam mutilationis, vel occisionis in Ecclesia necessariam (sicuti qui sagitta, vel sclopo mutilat, vel occidit ex Ecclesia), sed liberam, cum liberè postea occiderit extra Ecclesiam.